

Non ait. Flos; sed, *flores*: quia cum virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus et foris, tota vernabat quadam florulentia et venustate pudoris. Nam et in te quoque si castimonia perfecta sit, non solum reflorabit caro tua, sed et super te totum effloret sanctificatio quædam divina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitia floridus: non sermo lascivus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi nova vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus: non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imo religiosus; totusque hominis tui status sanctimonie gratia florulentus, ut recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum invitaveris, *Lectulus noster floridus* (*Cantic. I, 15*). Quinimo ipse totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cantic. II, 5*). Hujusmodi justus, etiam cum senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ vivæ in resurrectione, id est in refectione justorum, germinabit sicut lilium: et florebit in æternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium, Sponsum et coronam virginum: florem, inquam, quo coronanda est non solum integritas virginum, sed et castitas continentium: ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De pulchritudine sanctæ dilectionis.

1. *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei* (*Eccli. xxiv. 24*). Meminisse potestis cum præterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconvenienter, ut arbitror, beatæ Dei Genitrici nos illud assignasse, salvo tamen intellectu illo, quo tota lectio Filio ejusdem proprie competit, id est, Dei sapientiæ. Multo autem manifestius in eo quod modo de eadem lectione proposuimus, ejusdem Virginis se demonstrat vox et persona, si tamen advertamus, in eo quod ait, *Ego mater pulchræ dilectionis, etc.*, quam pulchre et commode Filium his virtutum nominibus describat. Notus erat Matri Filius, nec minus utique quam illi qui dicebat: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor. v, 16*). Primo novit eum secundum formam carnis, in qua ipsa eum genuit: sed longe hoc a cognitione illius formæ, in qua Pater eum genuit. In illa visus est aliquando, et non erat ei species neque decor (*Isa. LIII, 2*): in ista splendor est gloriæ et candor lucis æternæ (*Sap. VII, 26*), apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac. I, 17*). Visio illius formæ incredulis auxit peccatum; **1010** visio istius justis servatur in præmium. Igitur inter formam carnis

et formam Verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritualis quidem, sed quam in carne palam exhibuit; forma scilicet vitæ quam in corpore gessit ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ et morum, quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus; tunc demum idonei erimus videre non formam solum, quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formavit nos.

2. Est utique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater est; in morali magister est; in intellectuali Deus noster est. Corporalem suscepit, ut impleret sacramentum: moralem exhibuit, ut præberet exemplum: intellectualem seu divinam revelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ hujus, quæ in exemplum est proposita: nam qui scrutator est illius quæ in præmium est reposita, opprimetur a gloria (*Prov. xxv, 27*). Hujus formæ mirator et amator factus erat, qui dicebat: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal. XLIV, 3*). Vis scire quia non formam corporis, sed cordis, non pulchritudinem membrorum, sed morum prædicabat? audi sequentia: *Specie tua, inquit, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna*. Adhuc fortassis dubium est, nisi addat: *Propter veritatem, inquit, et mansuetudinem et justitiam* (*Psal. XLIV, 5*). Prorsus hæc est species tua et pulchritudo tua, qua regnum acquisivisti, pulcherrime regum, veritas utique sermonum, mansuetudo morum, justitia judiciorum. Hæc pulchritudine facile illexisti et subjecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiscentia et desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omnino novum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed convertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris ejus, non quia faciem ejus viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate et justitia ejus audivit. Ex Sion species decoris ejus, quia de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Mich. IV, 2*): unde scilicet Evangelium ad nos missum est, in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est; forma scilicet vitæ et doctrinæ, quam et tradidit verbo, et in se expressit exemplo.

3. In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum; cum nosse in forma carnis, scandalum fuerit Judæorum: nam nosse in forma divinitatis felicitas est, et gaudium angelorum. Ideo et Paulus sciens quia caro non prodest quidquam, sine spiritu videlicet qui vivificat, nosse jam Christum secundum carnem repudiat (*II Cor. v, 16*): nimirum ut spiritui vivificanti studiosius totus intendat. Hoc ipsum et Maria sapere videtur, quæ dilectum uteri sui, dilectum votorum suorum insi-

nuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundum spiritum: quasi diceret et ipsa: *Etsi cognovi Christum secundum carnem, sed nunc jam non novi*. Cupit namque et ipsa formare Unigenitum suum in omnibus filiis adoptionis, qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio et cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis Filii sui, quem semel parturivit et peperit; imo, ut *Isaias ait, Antequam parturiret peperit* (*Isai. LXVI, 7*): quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem et molestiam parturitionis, cum pareret gaudii fructum æterni.

4. Hunc igitur commendans nobis sic ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei* (*Eccli. xxiv, 24*). Ergone est iste Filius tuus, o Virgo virginum? ergone talis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Plane talis est dilectus meus, et ipse est Filius meus, o filiæ Jerusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in se ipso: dilectus meus est pulchra dilectio, timor, et spes, et agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solum quem diligimus, timemus, agnoscimus, et in quem speramus; sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus, veluti quibusdam membris et partibus, in **1011** nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfecte, pro modulo hujus vitæ, Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem quæ ipse est agnovisti, et agnitam glorificasti, timore videlicet et spe; et ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui judicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel perfectuum, et alius ordo positionis nominum: non enim ait: *Ego mater agnitionis, et timoris, et spei, et dilectionis*; sed ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei*: fortassis et in hoc ordine ipso quem ponit, inveniri poterit aliquid congruentiæ et rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem, ne in desperationem concidat, spes adjuncta consolatur, ipsique spei, ne confundat, dilectio suffragatur: ita versa vice dilectio castum

parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem, secundum illud Sapientis, *Qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra* (*Eccli. II, 10*). Quanto autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eum speratur. Unde est illud: *Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum, Domine* (*Psal. IX, 11*). Spes vero sancta est, sicut *Joannes de spe videndi Deum loquens ait: Omnis qui habet hunc spem in illum sanctificat se ipsum, sicut et ille sanctus est* (*I Joan. III, 3*).

5. Pulchre autem et proprie dicta est pulchra dilectio, cum charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo; sitque virtus ista fere tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse Sponsus ejus in Cautico amoris invenietur tantum ac toties in ea mirari et extollere. Prorsus dilectio pulchra, quæ de corde puro est, et conscientia bona, et fide non ficta. Ubi enim cor purum est, nulla est ruga; ubi conscientia bona nulla est macula: ubi fides non ficta, non est aliquid ejusmodi quod oculis Sponsi displiceat, quominus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine dilectio sanctorum ab amore hominum, sive turpi, qui nec nominandus est inter fideles; sive naturali, quo amantur parentes; sive sæculari, quo se invicem amant propter sæculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo, procul; imo nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis: seorsum autem interim cedat amor necessitudinis, solusque regnet amor internæ et æternæ pulchritudinis, quo solum Deum, vel propter Deum amant vere pulchri. Tu vero, bone Jesu, pulchritudo Sanctorum, speciosus forma, non modo præ filiis hominum, sed et præ virtutibus cælorum; *specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna*: tamque late regnet pulchra dilectio tua, ut turpem de finibus rerum perturbet et eliminet, sæcularem ad se convertat et inclinet, naturalem sub se regat et ordinet: ut illa pulchra et vera dilectione te diligit mundus, qua dilexisti mundum, Salvator mundi, qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN SOLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM,

SERMO

De pauperibus spiritu.

1. *Beati pauperes spiritu* (*Matth. v, 3*). Agnosco notum illud ac nobile prognosticum, quod in testimonium sui, necdum natus in carne Dei Filius protulit; jam vero natus, sed nondum notus, sibi competere docuit: *Spiritus, inquit, Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* (*Isai. LXI, 1*). Ecce pauperes evangelizantur, ecce pauperibus Evangelium regni nuntiatur: *Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth. v, 3*). Lætum prorsus ac novæ plenum gratiæ Nov Testamenti principium, etiam quantumlibet infidelium aut pigrum provocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum, cum scilicet beatitudo miseris, exsultibus et egenis promittitur regnum cælorum. Gratium, inquam, et auspiciatum novæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum benedictiones dat Legislator, quibus delectati eant de virtute in virtutem: per istos videlicet octo gradus

ascensionis, quos in corde nostro disposuit structura Evangelii, secundum exemplar et imaginem celestium, quod **1012** Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifeste quidam ascensus cordium, et profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum evangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo propheta dicit: *Et in octo gradibus ascensus ejus (Ezech. xl, 37).*

2. Prima siquidem virus inchoantium est renuntiatio sæculi, qua pauperes efficiuntur spiritu: secunda, mansuetudo, qua nos obedientiæ subdimus, et assuescimus: deinde, luctus, quo peccata plorantur, vel virtutes inplorantur. Ibi nimirum gustamus, unde amplius esuriamus, et sitiimus justitiam, tam in nobis quam in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoveri. Sed ne zelus immoderatio in vitium feratur, sequitur misericordia, qua temperetur. His ergo studiis, vel exercitiis, cum quis justus et misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, et mundando cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem et probatus tam in actione, quam in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen et officium Filii Dei gerens, pater et minister factus aliorum, tanquam mediator et sequester pacificet inter ipsos et Deum: pacificet ipsos ad invicem, vel etiam ad eos qui foris sunt, sicut scriptum est in laude sanctorum patrum, *Pacificantes in domibus suis (Eccli. XLIV, 6)*. In hoc officio qui fidelis et constans fuerit, sæpe virtutem et meritum sibi martyrii comparabit, persecutionem patiens propter justitiam; aliquando et ab his pro quibus pugnabit, ut sit ei dicere, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me (Cantic. i, 5)*; et, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis (Psal. cxix, 7)*.

3. Quantæ autem gloriæ, quamque copiose mercedis in cælo sit culmen hujus perfectionis, inde utrumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenuntiantium sæculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, ut dicat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Plane beati qui, projectis vilibus, sed gravibus sarcinulis hujus mundi, nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum, tanquam nihil habentes, et per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem et disponentem omnia, quorum Deus portio est et hæreditas: qui, ut nihil desit, timentibus eum, cætera prout expedire novit, dispensat ad utendum, et se ipsum servat ad fruendum? Cum hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus et emancipatus introducetur in plenariam possessionem expectatæ hæreditatis, tunc profecto jus absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modo quanto tempore parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus præfinitum a Patre. Tunc mundus agnoscat justum

ac legitimum hæredem Dominum suum, propter quem creatus est: agnoscat, inquam, quia jam non conformem sibi, sed reformatum in novitate sensus sui ad imaginem Dei, ad quam factus est. Sed et nunc quoque fideli homini totus mundus divitiarum est (*Prov. xvii, sec. LXX*) (12); non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus utitur tanquam ad hoc sibi datis; et in via testimoniorum Dei, quæ videt facturam sicut et Scripturam perhibere factori, delectatur sicut in omnibus divitiis: sed etiam, quia ita sufficiens et gratus esse didicit, ut quasi totius mundi divitias computet illud prope nihil quod habet, sive hoc ipsum quod nihil habet. Ideo jure beatificat Ecclesiam sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo, tam dives est in Christo. *Multæ, inquit, filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas (Prov. xxxi, 29)*. Alii siquidem rapiunt non sua, et semper in egestate sunt: sancti dividunt propria, et ditiores fiunt. Divites enim eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono (*Psal. xxxiii, 11*).

4. Avarus quo plura possidet, pluribus eget. Quamquam nil minus habeat, quam quod habere se putat cum habeatur, non habeat, servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultorque crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est deus. Pulchre autem jam nunc quoque vindicat in peccatores justitia divina, res ipsas quas amant **1013** convertens eis in tormenta, et vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim quæ justum amplius justificat, et verius ditat dispensata, vel semel data; avarum cruciat servata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut sola, quis sit optimus divitiarum usus, invenerit: quod videlicet divitiæ, quæ pauperem faciunt et miserum, si diliguntur; tunc demum faciunt divitem et beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth. xi, 25*), id est, humilibus; qui utique non sunt alii quam pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur.

5. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim, fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quam in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quam in contemptu substantiæ. Substantia nonnunquam utiliter habetur; superbia nunquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola, vel maxime superbia damnat. Parum igitur prodest renuntiare sæculi possessionibus, nisi renuntietur et moribus: imo stultum ac ridiculum est nudari divitiis, et divitum implicari vitiis; pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus; relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi juvare (12) Lectio hæc Aug., Bernard. aliisque Patribus familiaris.

partes Antichristi. Plane Antichristi partes adjuvat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum, quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas; Antichristi, superbia, vel potius capitis ejus diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, et ab initio per superbiam peccat. Gloriamur igitur, fratres, quia pauperes sumus pro Christo; sed operam demus ut humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius; cum eum et paupertas nunc affligat, et superbia in perpetuum abdicat. Pauper autem humilis, etsi uritur et purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ divitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens et sentiens quoniam ipse est regnum Dei; quod jam intra se ipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, et pignus æternæ hæreditatis. Annon vestrum est, fratres, unde toties sicut vobis conscii estis, fructus suavissimos et beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis jam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, et vidistis quoniam bona est negotiatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac projicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (*Rom. xiv, 17*). Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronuntiemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est, quia nobis in-vitis eripi non potest.

6. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait, *ipsorum erit, sed, est regnum cælorum*: non solum propter jus firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum usumque felicissimum; non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia jam in quamdam ipsius possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis et cordibus. Quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! quam vicini sunt Dei regno qui regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, et gestant in corde suo! *Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Litigent alii de dividenda hæreditate hujus mundi: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei (Psal. xv, 6, 5)*. Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt, illis invidio: ego enim et anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum! o beata possessio nihil habentium! quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiâ redundas, tanquam in sinu reposita superfluens mensura. Prorsus tecum sunt divitiæ et gloria, opes superbiæ et justitiæ.

1014 7. Superbiat, o pauperes, superbiat, o humiles, anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque alitudinem hujus mundi longe sub pedibus suis jacentem despiciat; indignumque judicet

gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cœlum, et nunc te demum mergeres in cœnum? parata tibi sunt æterna, et præeligeres transitoria, somnoque similia? te præstolatur curia sanctorum, et præponeres societatem dæmoniorum? Quam miser homo, qui cum in honore esset, non intellexit, ac perinde comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis! (*Psal. xlviii, 21*.) Annon manifeste hoc illis contingit, quos cum beata paupertas fecisset honorabiles cœlo, mirabiles mundo, et, ut nihil præteritum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitantes miseriam cæcato sensu paupertatem, humilitatem, ignaviam: voluerunt divites fieri, et inciderunt in tentationes et laqueos diaboli; cumque essent domini universorum, vendiderunt se ipsos sine pretio propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdidit sustinentiam, et diverterunt in vias pravas! Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, et grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cælorum incommutabilis Veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens; si tamen et vos ipsi spem istam in sinu vestro repositam firmiter custodialis usque in finem, cooperante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

C In verba Cantici canticorum: *« Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. »* (*Cant. viii, 13.*)

1. In conventu sodalium et amicorum, id est, Ecclesia sanctorum, cujus vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsæ loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*. Non sum ego cui hoc dictum debeat videri: non sum qui habitem in hortis; magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulcris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulcra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis, non in hortis habitant, sed in sepulcris: Deumque exasperant, donec qui educit vietos in fortitudine, forti voce inclamet, *Lazari, veni foras*; suisque discipulis super eo præcipat, *Solvite eum et sinite abire (Joan. xi, 43, 44)*. Magna sane die rentia est sepulcrorum et hortorum. Hæc plena omni spurcitia et ossibus mortuorum; illi, omni suavitate et gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulcra videntur in hortis? Nam et Dominus in horto sepultus fuit. Elsi enim sepulcra in hortis, nunquid tamen horti in sepulcris? Ita fortassis, sed in sepulcris justorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amenitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum, cum reflorabit caro eorum, et non solum ossa justi sicut herba germinabunt, sed et totus justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum. Non sic impii, non sic, qui sepultura asini sepeliuntur (*Jerem. xxii, 19*),

et sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsentī futuram auspicantur. De sepulcris eorum dicere cœperam, quod quantum a spurcitiā illorum abhorret florentium, species horticulorum, tantum, imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium a voluptate gaudiorum carnalium.

2. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, et quot sententias ligitis tot hortos perambulant; quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma nova et vetera servata sunt: id est, tam prophetarum, quam evangelistarum, vel apostolorum eloquia reposita sunt, ut et unicuique vestrum, illud sponsæ ad sponsum videatur dictum, *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi* (Cantic. vii, 13). Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui **1015** nihil aliud in illis quæritis quam Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. Beati plane qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua, Domine; ideo scrutata est ea anima mea (Psal. cxviii, 2, 129). Scrutinio quidem opus est, non solum ut eruantur mystica, sed etiam ut sugantur moralia. Ideoque vos, qui perambulant hortos Scripturarum, nolite negligenter et otiose transvolare; sed scrutantes singula, velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Jesus, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (Ecclesi. xxiv, 27). Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Davidicum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo* (Psal. cxviii, 103).

3. Ab his hortis in alios, ubi requies secretior et voluptas beatior, et species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exultationis et confessionis, rapit in locum abernaculi admirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet et inaccessibilem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium et orantium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium. *Rabbi, ubi habitas?* puto quia merentur audire, *Venite et videte. Venerunt*, inquit, *et viderunt, et apud eum mansuerunt die illo* (Joan. i, 38, 39). Quandiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; noctem nescimus, tantummodo de beato fruimur. Cum inde labimur, in noctem nostram recidimus. Heu mihi! quam cito defecerunt dies mei, quam cito sicut fenum arui, qui quandiu fui in horto cum illo, sicut paradisi Dei viri et flori! Cum illo hortus voluptatis: sine illo locus horroris et vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat, quod et ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, ut et sponsus in laudem ejus dicat: *Hortus conclusus, soror mea sponsa*

(Cant. iv, 12). An non sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi, quam plantavit Pater suus? *Audite me*, inquit, *divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate* (Ecclesi. xxxix, 17). Quasi Libanus, odorem suavitatis habete. Florete flores quasi liliū, date odorem, et frondete in gratiam.

4. O Domine Jesu, vere hortulane, operare in nobis quod exigitis a nobis; nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas, Maria, quæ eum existimabas hortulanum illius horti pauperis et exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cæli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat et rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viventium, secus decursus aquarum viventium, ubi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, ejus conversatio erat in cælis: qui mente sæpius excedens perambulabat paradisum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, ubi et pertransiens rosas Martyrum, et lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius et feliciter quam suavis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantis suavitatis ejus profusus eructabat, et ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe et pinguedine repleta erat anima ejus, ideo labiis exultationis laudabat os ejus. Cor quippe sapientis erudit os ejus, et labiis illius addet gratiam (Prov. xvi, 23). Eructabat itaque cor ejus verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut jucundo carmine oblectabat. Prorsus carmen jucundum, suavisque melodia, ubi tam canorum Spiritus sancti organum, tanta morum et sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Jesum jubulum cordis sui personabat. Si enim lingua suavis vim carminis non haberet, scriptum non **1016** esset: *Tibia et psalterium faciunt suavem melodiam, et super utraque lingua suavis* (Ecclesi. xl, 21). Si carmine hujusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret: *Jucundum sit ei eloquium meum* (Psal. ciii, 31). Sed nec ipse sponsus diceret: *Fac me audire vocem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua suavis* (Cantic. viii, 13, et ii, 14), quia exaltationes Dei in faucibus tuis, tanquam habitantis in hortis, in deliciis paradisi. E contra vero, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (Ecclesi. xv, 9), qui habitat in sepulcris. Cujus enim vita Deum exasperat, lingua non delectat, sed ter-

ribilliter increpatur voce divina: *Quare tu enarras justitias meas; (Psal. xlix, 16.) Cantica lyræ tuæ non audiam* (Amos v, 25).

5. Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem et materiam ministravit sermonis; si placet, finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod a sponso dicitur, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: vel quod devotum amatorem invitet ad psallendum vel orandum; vel quod sanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod ut magis persuadeat, amicos auscultare memorat, angelos scilicet orantem vel psallentem; fideles prædicantem. Ubi primo intuemur, qua disciplina cordis et corporis nos oporteat in conspectu angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant ut vota deferrent, et dona referrent; imo recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium et pulsatur, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recedet conquerens, et dicens: *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est*

loquitur *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium* (Jerem. viii, 6). Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de benevolentia et attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant; non æmuli detrectant, aut subsannant; non tepidi dormitant, aut oscitant: sed amici attentim auscultant, quorum amor et meritum possit evangelizanti impetrare verbum et spiritum. Et bene amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod devotus audiat vocem sponsi, sicut Joannes ait: *Amicus sponsi est qui stat, non vagans animo, aut prostratus somno, audit et gaudet gaudio propter vocem sponsi* (Joan. iii, 29). quam agnoscit etiam in servis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, ut sive per os loquentis, sive legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium et lætitiā; et non solum cum gaudio, suscipere verbum, sed et fructum afferre in patientia.

His Guericci sermonibus in Bibliotheca Patrum, tomo XIII editionis Coloniae, quinque alii subjiciuntur hæcenus recensiti inter Bernardi sermones de Diversis, nimirum 8, 28, 73, 76 et 79, quos Horstius Guericco adjudicat, eo quod desiderentur in manuscripto Coloniensi. Vide quid de his dictum sit in præfatione ad tomum tertium ubi discussio facta est sermonum de Diversis, et in proprio eorum loco. His porro Guericci Sermonibus visum est subjicere Nicolai monachi Claræ-Valleensis Sermonem de beata Maria Magdalena, inter Bernardinos antehac editum, quem suo loco inter Nicolai sermones tomo quinto per oblivionem omisimus. Unus est ex novemdecim illis sermonibus, quos Nicolaus Henrico Campaniæ comiti nuncupavit; totusque conflatus est ex Bernardi sermonibus in Cantica.

NICOLAI CLARÆ-VALLENSIS

SERMO IN FESTO BEATÆ MARIE MAGDALENÆ.

1. Hodie misericordia et veritas obviaverunt sibi, et multitudo miserationum Domini in peccatricem feminam refusa est. Filius enim Virginis, peccatriceis et menstruatæ manibus attrahatur, Deumque Dei Filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi **1017** atque mundantis, immunda; et vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, et redit ad cor: et scelerum magnitudinem lacrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, et obsequiorum instantiam remuneratorius ille majestatis oculus felici dedignatione non aspicit. Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, et oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit et irrorat unguentis. Videt et invidet singularitatis amator, et utrumque redarguit Pharisæi jactantia, illum ignorantia, præsumptionis istam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium; et invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium in holocaustum pertranseat. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, et odoris

fragrantia cœlestis ille conventus aspergitur, salvantemque et salvandam tota misericordiae dulcedo perlingit [Al. præcingit.] Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (Rom. v, 20), et numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatriceis confessione! quam justa reprehensio in Pharisæi superbia et abusione! Enumeratur obsequentis obsequium, et per obliquum tangitur indignantis iniquitas, toto litterali cohærentia Simonis invidiam impugnante. Et quia ubi spiritus Domini ibi libertas (II Cor. iii, 17); dimittuntur illi peccata multa quæ multum diligit, immituntur illi qui multum negligit. Non erat satiat ab uberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem relegens quæ misericordiam nescit, novit justitiam. Lex dura, duris et lapideis promulgata, parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum et acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israeli, Salvatori propinatum. Vinum de quo dentes bi-